



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Dubitare de remissione peccatorum. tit. 64

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

tiam Christi. Sic fides per baptismum hoc mediū apprehendit remissionem peccatorum, sic per absolutionem &c. Non elementum sacramentum facit, sed Deus operatur & distribuit gratiā per ea. Ad hoc etiā Christus instituit hæc media, per quæ fides nostra illa debet apprehendere, non fides sola sine medijs, & quæris, cur hoc, cum hoc possit fides sine medijs? Respondedo, voluntas Dei sic est: & quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Sic virtus Dei operatur per Euangelium credenti, Rom. 1.

Tertiò, externa ergo illa instituit Deus circa fidē, vt in lege naturę, oblationes, Gen. 4. In lege scripta, circūcisionem, Gen. 17. In lege Euangelica, baptisma & alia sacramenta & opera, vt nos certiores essemus de apprehensa gratia, cō quòd debiles sumus nudo verbo credere. At sunt sacramenta signa reconciliationis certa, quia Deus infallibiliter assistit: adiuuāt & confirmant sacramenta fidem. Sic baptismus certificauit Eunuchum, Act. 8. Absolutio, Dauid, 2. Reg. 12. & Magdalenam, Luc. 7. sic confirmatio Samaritanos, Act. 8. sic de Eucharistia in fide, quòd passio Christi pro nostris peccatis facta est, Rom. 4. sic est decalogus, ceremoniæ ad differentiam, quia non sumus Iudæi vel gentes.

Quartò, nihil ergo meremur sanctis operibus? immò primò impetramus Christum cum omnibus suis beneficijs. Rom. 8. qui dedit filium &c. hæc nobis distribuuntur, & fides accipit. Secundò, obedientia nostra habebit præmium magnum accidentale. 1. Cor. 15. differt stella à stella, &c. Summa, fides per media apprehendit gratiam, & non sine illis. Videant ergò saluandi.

DUBITARE DE REMIS-  
sione peccatorum.

TITVLVS LXIIII.

Nn 5

Primò,



PRIMO, Ecclesia catholica sic docet, quòd homo naturali ratione non percipit, sed illuminatus gratia Spiritus sancti, nullum articulum fidei potest certò credere de Christo nec de DEO, aut gratia Dei, remissione peccatorum, vita aeterna. 1. Corinth. 12. Nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Et 1. Corinth. 2. Animalis homo, id est, naturalis, non percipit ea quae sunt spiritus, quae Spiritus sanctus docet, ut fidem, charitatem, spem &c. Galat. quinto. Fructus spiritus sunt charitas &c. Nos non sumus sufficientes aliquid ex nobis cogitare &c. Hac igitur ratione nescit homo, vtrum amor an odio dignus sit, &c. Eccles. 9.

Secundò, homo & ratio naturalis quando illuminatur à Spiritu sancto, & adiuuatur verbo & scripturis Dei, tunc ratio assentit & credit verbo Dei, quòd propter Christum promittit credentibus Deum misericordiam, & remissionem peccatorum, & vitam aeternam. Coloss. 1. Complacuit patri sibi omnia reconciliari per sanguinem crucis eius. Actor. 10. Hic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius. Sic iubet predicare in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum, Luc. ultimo, & Ioan. 3. promittitur, quòd omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam &c. Qui ergò nunc hisce credit promissionibus & verbo Dei, hic certificatur de salute & gratia propter Christum. Nam impossibile est Deum posse mentiri, Hebræor. 6. Hic ratio naturalis fundat se supra verbum Dei, & verbum Dei certificat: & qui verbo non credit, Deum mendacij arguit, 1. Ioan. 5. quòd est peccatum. Sic omnes articulos fidei, ratio fundata supra scripturam & verbum Dei, credit, & certa est. Sic 1. Ioan. 3. dicitur; Hoc est mandatum Dei, ut credamus in filium eius Iesum Christum. &c.

des est certa fiducia, id est, substantia, Hebr. 1. non dubitatio. Dubitare enim & credere pugnant. Quare capitale mendacium hæreticorum est, quod Ecclesia doceat dubitare de remissione peccatorum: alioqui & pueri baptizati essent incerti de remissione peccatorum, quod nemo vnquam docuit.

Tertio, Eccl. 9. Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: non loquitur in illo loco de remissione peccatorum, sed de futuris euentibus huius mundi, quod hic diues, ille pauper est: hic honoratur, ille deprimitur: hic cito moritur, ille diu viuit: hic bonus est, & nullam habet fortunam &c. Non ergo ex his euentibus homo æstimandus est bonus vel malus: vtrum odio an amore dignus, eò quod cunctis ex æquo conueniunt, bonis & malis, & sic iuxta illos euentus nescit homo &c. sed spes & fides ad Deum certa est, quæ non confundit Rom. 8. & verbum Dei non fallit, quoniam Deus verax est, Rom. 3.

Quarto, Ecclesia catholica docet, quod licet nemo dubitare debet de salute sua, de remissione peccatorum & vita æterna, eò quod habemus pignus certum, id est, mortem Christi, attamen timere debet, & non esse nimium securus. Sic 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum &c. Apostoli Luc. 17. credunt, sed tamen dicunt, adauge nobis fidem: timent adhuc de fidei imperfectione. Et Marc. nono dixit homo: credo Domine, sed adiuua incredulitatem meam, ex quo nemo certus est, an sua fides sit perfecta. Ideo ista fides semper debet habere adiunctum timorem: sed timere non est dubitare. Timere Deum iubemur, Eccl. 12. sed dubitare de verbo Christi, peccatum est, 1. Ioann. 5. Insuper scire & credere quoque differunt. Scientia de rebus visis & experiencijs est. At fides de rebus non visis & sperandis, Hebr. 11. Non ergo docetur populus dubitare de remissione peccatorum, aut de articulis fidei, sed Deum quoque cum fide timere

timere subindè: nam etsi promissio est certa ex parte Dei, attamen & studium nostrum exigitur, vt per hoc medium apprehendamus illam. Sic vult nos enutrire, Matth. 6. attamen oramus pro pane quotidiano: sic nos protegere, sed tamen iubet vigilare &c.

*IUSTUM QUID PRIMO FACIT. fides an opera.*

TITVLVS LXV.



PRIMò, grauant sectæ Ecclesiam, quia docet nos esse iustos iustitia legis. Subindè, hac mereri remissionem & vitam æternam. Postremò, quando nemo nouit, quando satis operum bonorum habet. Idèò iubent dubitare de remissione & salute &c. Sed hoc primò est norandum, quòd nemo potest bonum & iustum opus facere, nisi ipse priùs sit iustus & bonus. Arbor bona fructus bonos facit, Matth. 7. hoc quod primò iustum & bonum facit, est fides in Christum, & hanc fidem imputat Deus pro iustitia, antequàm homo opus bonum facit. Sic docet Paulus ad Roman. 4. credenti in eum, qui iustificat, fides reputatur illi ad iustitiam. Et Dauid Psalm. 31. Beatus vir cui &c. De hac iustitia etiam loquitur Augustinus libr. de spiritu & litera, capit. 9. Deus non iustificat ea iustitia, qua ipse iustus est, sed qua induit hominem cum iustificat impium, quando cum iustificat non imputando ei peccatum propter Christum, in quem credit. Sic Deus purificat cor, Actor. 15. & non imputando peccatum propter fidem in Christum. Et hæc est iustitia, quæ præcedit omnia opera.

Secundò, ex hac igitur iustitia iam primò gratia apprehensa nunc incipio facere, bona & iusta, sicut dicit Propheta Psalm. 115. Credidi, propter quod locutus sum, Sic oro, ieiuno, do eleemosynam, seruo præ-